

AK. 289

v. Burgsdorff.

Ye  
4559


ORATIONES DUAE  
QUAE  
IN SCHOLA CIZENSI  
RECTORATUS  
ADEUNDI CAUSSA  
HABITAE SUNT  
PRIMA  
A  
M. HENRICO GOTTL  
OB  
HENTSC  
HIO  
SECUNDA  
A  
CHRISTOPHORO GOTTL  
OB  
A BURGSDORF  
EQUITE MISN.

A. D. XVII. KAL. FEBR. CIC 10CC. LX.

CIZAE  
TYPIS HVCHONIANIS.







## Lectori Humanissimo

S. P. D.

H E N T S C H.



As duas orationes cum constituissemus edere, necessarium visum est, vt de ratione instituti nostri et consilio paucis Tibi antea exponeremus. Namque intelligebamus, esse in iis nonnulla, quae facile possis in aliam, quam vellemus partem interpretari. Accipies igitur benevole, quibus, ne in errorem incideres, cauere volimus. Sunt autem haec. Primum nos non ii sumus, qui nostram oratiunculam ingenio adolescentis et genere et virtute et doctrina nobilissimi anteponendam vello modo putemus. Nihilo minus, quo et temporis et rei et facilitatis ad intelligendum ratio duceretur, hunc ordinem secuti sumus, vt loco priore nostram orationem; posteriore alienam poneremus. Quamobrem Te vehementer rogamus, vt ne, quod vel necessitatis caussa factum est, vel etiam commoditatis Tuae, arrogantiae tribuas. Quamquam hoc leue est. Restat aliud idque maius, quod maiore etiam contentione a humanitate Tua et prudentia petendum

A 2

videtur.

videtur. In ipsa oratione Burgesdorffii inuenies locos complures, qui nostram litterarum humaniorum et philosophiae scientiam miris laudibus extollant; qui tenuitatem ingenii nostri et doctrinae copolas praestantiae *Leismeri*, nostri decessoris, et nomini comparare conentur; qui denique honorificentissimum nobis Burgesdorffiana in nos benevolentiae, vel, ut Ipse appellare maluit, amicitiae testimonium exhibeant. Ne existima, quaeſo, vel nos tam vanos esse, ut laudes illas nobis arrogemus, vel ostentandae illius amicitiae cauſa has orationes litterarum typis in publicum describendas curasse. Id enim totum contra est. Nam, cum cognitum vſu perspectumque habeamus, studium legendi et imitandi Ciceronis in Burgesdorffio Nostro atque amorem esse tantum, ut au- geri vix posſe videatur: facile in eam opinionem adducimur, ut nobis persuadeamus, eum, auctore eodem Cicerone, laudasse, quem cohortari vellet. Neque vero nobis id non est gratissimum. Namque cum vel obiurgatio viri bo- ni et prudentis magnam gratiam habeat: quid est, quod non cohortationem amici optimi et doctissimi, in primis ad magnarum laudum gloriam, in magnis beneficiis numeremus et singulari nobis honori ducamus? Nemo enim est, ni- si forte stultissimus, qui ad virtutis et doctrinae excellentiam aliquem hortetur serio, cuius tarditatem putet ne ex aliquo quidem interuallo posse ad eam ap- propinquare. Et de arrogantię quidem suspicione hactenus. Jam vero quod ad editionem harum orationum attinet, profecto non ostentatio quaedam et gloriola nos impulit, ut eam fusciperemus, sed longe aliae commouerunt causae, et eae, nostro quidem iudicio, grauiſſimae. Ac primum incredibilis Pa- tronorum, qui nostrae scholae praefunt, quosque praesentes nobis licet colere, (namque absentium alias ducetur ratio) benignitas nos coegit, ut nostram quoque orationem vel testem pietatis nostrae, vel praerogatiuam aliarum grati animi testificationum in publicum prodire iuberemus. Etenim maxima Ipſorum in nos voluntas ex eo die, quo Rectoratum hunc adiuimus, non solum nihil est imminuta, sed aucta etiam ita et pluribus modis cumulata, ut nunc amare nos, antea tantum dilexisſe videantur. Mitto, quod supra admonui-  
mus,

mus, nostra oratiuncula ad Burgesdorffianam propter rei ordinisque coniunctionem opus esse. Etenim, quas orationes locus vnum, similis occasio, hora eadem et geminum argumentum copulauit inter se et coniunxit, eas disiungere et separatim edere, incommodum est et certe ad intelligendum inutile. Deinde simili ratione veriti sumus, ne pro singulari Burgesdorffii amicitia et humanitate ingrati haberemur, nisi, quantum ei deberemus, palam testifiearemur, et praenobis ferremus. Etenim illa gratulatio non solum celeriter nos ad optimam doctrinae et virtutis opinionem huic ciuitati vniuersae et vicinitati, cum ignoti aduenissemus, commendauit, quod praeclare adhuc sensimus, sed plane nouum quoque nobis honorem praefluit, cum, quemadmodum postea cognouimus, ex omni Rectorum, qui ante nos huic scholae prae fuerunt, numero ante nos extiterit nemo, cui in ipso aditu muneris talis orator surgeret et tanti patris filius atque aduentum optimis et gratulationibus et omnibus condecoraret. Postremo autem ipsa orationis Burgesdorffiana forma ita me cepit, ut vel iniuria mihi laborare vel iniuriam illi facere viderer, si eam, veluti puellam prauam et deformem, oculos hominum vitare et lucem vellemus. Certe viri sumimi, quorum auctoritas in hoc genere valere debet plurimum, et quibuscum eandem orationem ad legendum communicaueram, meliorem illam esse iudicarunt, quam ut vel semel esset audita, quamvis ab haud paucis iisque intelligentibus et principibus huius ciuitatis viris, vel apud me intra bibliotheculae tabulas, tanquam in carcere, contineretur, ut quam paucissimi eam videre possent. Quamobrem ego quidem auctorem rogaui, ut eius in publicum proferendae mihi potestatem ficeret, eamque, quamquam aegre, quae Ipsius est modestia, impetravi. Sed non dubito, futurum, ut pro mea mihi interposita opera gratias legentium quisque habeant. Primum enim, qui Burgesdorffum ipsum audiuerunt, ii pristinam sibi, eamque haud mediocrem rerum verborumque voluptatem inter legendum instaurari haud moleste, credo, patientur. Accedit, quod eadem recognoscenda huius orationis opera summam illam iucunditatem renouabit, quam ex actionis sensu percepserunt. Nam tanta fuit in illo or-

tore, bene memini, vocis et claritas et dulcedo; tam erectus status; tam moderatus incessus; tam virilis corporis totius motio; tam decora brachiorum projectio contractioque; tanta vultus dignitas et hilaritas; et tam humana in primis oculorum moderatio, ut omnino Humanitatem illam, quam orator superiore se nocte in somnis vidisse dixerat, videre Tibi viderere, aut certe haec omnia Ipsum ab eadem Dea accepisse iurares. Porro vero, quibus hoc non contigit, ut pronuntiationi adessent, ii vel partem eius voluptatis, quae ab auditoribus sibi sit narrata, se legendo percipere laetabuntur, atque etiam cum latinitate orationis et elegantia; tum vero utilitate sententiarum et acumine delectari se non paullulum et adiuuari sentient. Denique vniuersi ingenio huius nobilissimi adolescentis, doctrina et humanitate ita commouebuntur, ut mecum simul primum pro valetudine Ipsius, qua non firmissima vtitur, vota suscipiant; deinde vero discessum ex aedibus Patris in Academiam, quem hoc tempore parat, ei vehementer gratulentur, omnibusque precibus a Deo O. M. contendant, ut, quemadmodum certissime non quidem speramus, sed confidimus, eundem discessum et Parentibus Excellentissimis, fratribusque et sororibus virtutis omnis spe Ipsi geminis, et bonis litteris, et reipublicae quam iucundissimum fructuosissimumque esse iubeat. Atque haec fere habuimus, quae de ordine harum duarum orationum et consilio dicere mus. Tu autem, mi Lector, iisdem vttere vel modo ad honestam animi oblectationem, vel etiam eo, ut iustissimis Burgesdorffii Nostri laudibus, quas nomen quidem Ipsius et modestia non desiderat, quam plurimos alias adolescentes nobiles ad imitandum hoc pulcherrimum doctrinae et elegantiae exemplum incendas. Faue vero etiam nobis nostraeque scholae et vale. Scr. Cizac  
pr. Id, Mai. a, C. N., cccccc LX,




Dominij

# ORATIO

M. HENTSCHEI.





*Domini Perillustres, et Generosissimi,  
Patrone Magnifice et summe Venerabilis,  
Viri summe Reuerendi, Consultissimi, Experientissimi,  
Amplissimi, et Doctissimi,  
Praeceptores hujus scholae Doctissimi,  
Collegæ Honoratissimi,  
Discipuli Carissimi,  
Auditores omnis generis Humanissimi.*



 N rerum difficillimarum sollicitudinibusque plenissimorum numero recte haberi scholasticorum munera conditionem, cum diligentior rei ipsius cogitatio declarat, tum vero etiam constans idque omnibus seculis commune hominum doctorum plerorumque iudicium atque exemplum. Nam profecto neque fuit olim neque est facile nostra memoria ullum aliud muneric genus, quod vel pari contentione fugiatur, vel tanto studio permutteretur cum quavis alia vitae conditione. Atque hoc mirum nemini videti debet. Schola e plerorumque hominum sensu nihil magnopere  
B  
habet

habet, quod ipsorum animos alliciat; contra autem molestiarum, quae deter-  
rent, plurimum. Oportet enim scholarum magistros imperitiam puerilis ac-  
tatis, simplicitatem et imprudentiam perferre; oportet cum temeritate, cum  
magna cupiditatum caterua, cum pertinacia, cum superbia, aliisque cum vitiis  
quasi bellum gerere; oportet denique artium elementa tarditati incredibili  
multorum et imbecillitati non tradere, sed inculcare. Bone Deus! quam haec  
res plena taedii est, quam plena contentionis et curae; quam plena laboris.  
Deinde in tanta officiorum minutissimorum multitudine facile peccatur. Quod  
si acciderit, etiam si latuerit omnes homines, tamen animum fidelis magistri  
et religiosi pungit et perturbat. Accedit rumor vulgi, iniquus fere rerum scho-  
lasticarum aestimator, qui rem ex euentu probat, h. e. qui ex humanitate disci-  
pulorum et litterarum studio de fide doctorum et disciplina male iudicat.  
Denique seueritas Dei immortalis et auctoritas, quae a doctoribus auditorum  
sibi rationem reddi iubet nominatim, imbecillitatem humanae mentis non me-  
diocriter mouet. Quae quamquam ita sint: fieri tamen potest, vt, si quis  
vel sapientiae diuinae atque benignitatis adiumento confidat, vel alias etiam  
quasdam caussas habeat, bono animo et lacto eiusmodi scholasticum munus et  
adeat et administret. Atque in horum numero ego me esse, palam profiteor.  
Et constitui hoc tempore de eadem re dicere, eo quidem consilio, vt, sensu  
nostro et animo apud Vos libere patefacto, Vos me in tempore auctoritate  
Vestra et prudentia vel corrigere positis, vel confirmare. De Deo autem eius-  
demque sapientia, officiorum scholasticorum adiutrice, dicturus sum nihil,  
propterea, quod necessitas eius atque praestantia per se intelligitur.

Versabitur igitur omnis mea oratio in explicandis causis, quae me mo-  
veant, vt hunc Rectoratum, quamvis ad sustinendum difficilis sit, et sollicitu-  
dinis plenus, magna cum laetitia et prosperi successus spe adeundum existimem.  
Quam quidem orationem meam vt attente et reliquae Vestrae benevolentiae  
conuenienter audiatis, ego a Vobis, Aud. omnis generis Hon, summa et ob-  
seruantia et fiducia contendo. Et magna profecto me spes tenet, fore, vt

Vos-

Vosmetipſi in societatem mei gaudii veniatis, propterea, quod omnis eius origo  
iis et hominibus et rebus continetur, quorum virtutem, quarumque p̄fendantiam  
colitis maxime et tuemini. Quid enim opus est, aut quomodo conue-  
nit, Vestram audientiae humanitatem diutius, reticendo meo consilio, morari?  
Praeceptum illud rhetorum, quo artificium orationis et contextum audi-  
toribus nos occultare iubent, a Vestris certe personis et a meo argumēto est  
longe alienissimum. Accipite igitur statim summam legem, ad quam omnis  
haec oratio et a me regetur, et a Vobis, si placuerit, commode poterit exigi.  
Ego sic intelligo. Si hoc munus ita se habet, ut primum a Patronis sapienti-  
ſimis et liberaliſſimis mihi sit decretum; deinde, ut nanciscar Collegas, quo-  
rum religio officium sua sponte facit, quorumque vita concordiam et amici-  
tiam omnibus rebus anteponit; porro, ut facultas permagna de Republica et  
praeſenti et futura bene merendi detur; et postremo, ut in iis litteris librisque  
quotidie mihi versari liceat, quorum cognitio et per se est p̄fendantissima et  
meo certe animo carissima; si haec omnia, inquam, ita se habent, perspicuum  
est, ut arbitror, et luce clarus, recte me facere, quod hunc Rectoratū  
summa cum laetitia et spe adeundum censeam. Quis enim Vestrum est, A.  
qui ipſe, si vel meo loco sit, vel hoc scholastico munere multo grauius ejus  
ſidei tradatur, tali quidem modo, illud libentissime recipiat. Quamobrem de  
hoc vniuerso cauſarum genere plura dicere, propter summam rei perspicuita-  
tem, nihil attinet. Agite igitur, illud potissimum hac oratione videamus,  
an in me hoc tempore quaeque earum rationum cadat; an in hac mea condi-  
tione singulae locum habeant. Eo enim etiam explicato atque concluso, quod  
amplius ad persuadendum desideretur, erit nihil. Dicendum igitur mihi est  
primum de sapientia meorum Patronorum et liberalitate. Sed laudationem  
hārum virtutum iustum Vesta h. l. prudentia, A. a me non expectat. Quis  
enim ego sum, aut quae mea est in dicendo exiguitas, ut magnitudini tanca-  
rum laudum par esse villo modo possit? Verendum etiam est vehementer, ne  
scholae umbra claritatē tantorum nominum non solum non illustrare, sed

obscure etiam videatur. Et omnino multitudinem meritorum eorum in  
 hanc ciuitatem vniuersam, in Ecclesiam, in bonas litteras, in rem scholastica-  
 cam et beneficiorum amplitudinem angustiac huius loci et temporis non capi-  
 unt. Nihilominus vnam rem plane silentio praeterire incredibilis mea in hos  
 ipsos Patronos pietas non patitur. Sed nolite eam, quaeſo Vos, arrogantiae  
 meae tribuere. Pertinet illa ad rationes, propter quas hic ipſe Rectoratus  
 commissus meae fidei est et creditus. Etenim cum e pluribus competitoribus  
 unus iudicio eorum et auctoritate effet diligendus: me potissimum Rectorem  
 esse voluerunt, propterea, ut nominatim est in litteris publicis, quod industria  
 mea et vitae ratio laudata sibi effet et probata. Sed praeter hanc nominis com-  
 mendationem humilitas mea et solitudo nullos alios ad patrocinium eorum aditus  
 habuit. Annon igitur vel ex hoc uno satis potest intelligi, eos virtutem et  
 bonas litteras admirabili amore complecti, cum studium harum rerum in ignoto  
 homine probent tantopere atque ornent? Sequitur, ut de liberalitate eorundem  
 Patronorum et humanitate exponam. Necesse autem est, ne modestiae eorum  
 iniuriam facere videar, longe plurima et luculentissima eius generis testi-  
 monia omittere. Et quanta quidem, quam praeclara liberalitatis specimina  
 superiore aestate coram sim expertus, ne verbo quidem attingere per temporis  
 breuitatem mihi licet. Tranſeo igitur ad secundum aduentum, quo nihil vel  
 honoris vel beneficii fuit, quod mihi non summa cum humanitate tribueretur  
 et vltro. Nam primum is, cuius nomen et gloriam religio singularis, pru-  
 dentia ciuilis, benignitas et eruditio iam pridem immortalitati commendarunt,  
**BURGESDORFIUS** *Excellentissimus*, cum conueniſſem ipsum, o  
 Deus immortalis! quam hilariter, quam comiter, dextra etiam porrecta,  
 hunc clientem accepit, quanta cum urbanitate et gratulatione! quam diu me  
 retinuit et in nullo alio mecum sermone fuit, quam de salute huius scholae,  
 de vitiis, de remedii; quam liberali oratione me dimisit et prosecutus est!  
 Memor profecto illius vesperae, memor temper ero. Memini etiam, me,  
 cum discederem, optare, ut plures mihi similes horac contigerent. Conti-  
 gerunt

gerunt vero. Nam reliqui duo Patroni Perillustres, quos praesentes mihi alio-  
qui licet, cum ipsis salutassem, non minore me humanitate acceperunt. Et  
ille quidem ( vim, quaeso, paullisper modestiae Tuae facias, BERLEPSCHI Peril-  
lustris, et verum me dicere de Te patiare ) ille ergo cum longum mecum ser-  
monem de necessitate auctorum classicorum ad iuuentutem scholasticam recte  
docendam et utilitate contulisset, intellectusque studio me visendarum anti-  
quitatum romanarum teneri, incredibili facilitate suauissimos peregrinationis  
suae italicae fructus mihi impertivit. Nam vltro et continuo tabulas aere de-  
scriptas eius generis in medium proferre coepit, in iisque mihi aedificia Romae  
et per omnem Italiam maxime commemorabilia demonstrare, ut templa, thea-  
tra, circos, porticus, arcus triumphales, columnas et aquae ductus, atque  
etiam, ne quid desiderarem, in Herculani cellas subterraneas mecum descendere  
et per secturarum illarum viarumque angustias et tenebras me circumducere.  
Recordatione tantae humanitatis, mihi credite, A. etiam cum domum reuer-  
tissem, mirifice sum delectatus. Eodem autem me modo plane tractauit,  
quem item honoris caussa appello, *Illiufris HEYDENREICHIUS*. Qui qui-  
dem, communicatis mecum de schola regunda optimis et amantissimis consiliis,  
eum in sermonem, mea caussa, vt videbatur, venit, vt de philosophis nostrae ae-  
tatis loqueretur, et modo eloquentiam Hilleri sui et facetias mihi laudaret, mo-  
do controuersias aliorum, ita, vt inter medias contentiones philosophorum et  
disputationes versari mihi viderer. Ex ea hora profecto exoptatissimam spem  
cepi, fore, vt eiusmodi Patroni sermonibus Academiae desiderium facile con-  
solari possem. Restat, vt de *Patrono Magnifico et annis meritisque summe*  
*Venerabili SCHULZIO* dicam. Quem quidem cum nomino, specimen mihi et  
imaginem verissimam pietatis in Deum, benignitatis et comitatis nominare vi-  
deor. Is vero, quod cognouerat, me ex disciplina et conuictu et manu Er-  
nesti sui produisse, me non tanquam clientem et hominem alienum, sed veluti  
hospitem veterem summa liberalitate ornauit, et tanta consiliorum praeftan-  
tissimorum et disputationum vtilissimarum varietate exceptit, vt patrem quasi

Cizae mihi inuenisse viderer. Quid multa? Vosmetipſi, A. modo ex incredibili orationis \* eius humanitate eaque mihi honorificentissima cognouistiſtis, quam bono erga me animo eſſet, quanto amore hunc hominem amplectetur. Quac omnia cum ita ſint, quis eſt Veftrum, A. qui non, ſi, vt ſupra dixi, meo loco ſit, et mea conditione vſatur, vt ſimiles ſibi Patroni contingant, vehementer exoptet? Sed, quamquam harum rerum iucundiffimarum cauſa diutius in hoc loco commorari cupiat oratio: tamen propter occupationum Veftrum grauitatem ad reliquos laetitiaſ noſtrarum fontes vt progrediatur neceſſe eſt.

Quod igitur Collegas meos, Viros doctiſimos et humaniſimos attinet, quanta fide et religione, quam ſponte ſua, quam non admoniti, quam libenter ſui quiske muneris rationi ſatisfaciant, vel ex eo iudicari po- teſt, quod, cum paullo diutius Rectoris locus vacaret, tamen, qui partes ſuas negligeſet, eorum omnino repertus eſt nemo. De concordiae autem et ami- citiae et humanitatis laude nihil eſt, quod ego loquar; loquitur pro me res ipſa. Namque non ſolum inter ſe officio et humanitate certant, ſed mihi etiam, cum aduentum et huius diei felicitatem gratularentur, tanta diligentia et fide ſuam voluntatem et benevolentiam conſirmarunt, ut, ſi vel ad punctum temporis de ea dubitarem, homo ingratiſimus eſsem. Certe Collega, loco et honore mihi coniunctiſimus, meritis autem in hanc ſcholam, doctrina et in- genio

\* Hanc orationem, quae proxime ante noſtram habita eſt, cum ab Auctore Magn. et S. Ven. propter uitilitatem argumenti et praeftantiam (in ea enim enarrauerat Genes. III, 14. 15.) peteremus, vt ad publicandum nobis concederet, impetrare non potuimus. Rogauimus tamen eundem, nec, vt ſperamus, fruſtra, vt cum huius loci interpretationem, tum vero alias aliorum complurium, S. S. locorum, quas niſi perſcriptas, certe conceptas animo et perfectas habet, coniunctim aliquando e theſauris reconditae ſuae et eximiae doctrinae promat ad communem hominum doctorum uſum et diuulgat.

genio mihi longe carissimus, Riccardus, quem exempli et honoris causa nō  
mino, is vero nuper etiam vltro et omnium primus me conuenit, occurrit ob-  
uiam, cum dextra fidem coniunxit et praeter gratulationem sanctissime mihi polli-  
citus est, se sine omni simulatione amicitiam mecum esse culturum, eamque veri-  
tate potius factorum, quam verborum vanitate conseruaturum. De quo quidem  
optimo Collegarum in me animo quemadmodum ego mihi vehementer gratu-  
lor: ita Vestrūm, A. erit nemo, quin vna mecum eodem nomine valde laetetur.

Neque vero minus mihi de facultate bene de Rpl. merendi,  
qui est locus huius orationis tertius, est gratulandum. Ea enim, quamquam  
nemini in suo cuique genere, si modo bonus ciuis esse cupiat, desit: tamen  
cum munere scholastico ita est coniuncta, vt et mirum in modum multiplex  
sit, et non solum ad praeſentem aetatem, verum etiam ad posteritatis vſum  
pertineat. Ac primo quidem agricolam nemo negat bene de ciuibus mereti,  
qui serat atbores alteri ſeculo profuturas, quarum ipſe baccam nunquam adſpi-  
ciet. Quid igitur de his dicendum putamus, qui in ſchola iuentutem opti-  
mis artibus et litteris excolunt, atque ad humanitatem, ad virtutem christia-  
nam et ciuilem conformant, ita, vt fructus huius rei vberrimi, iſpis aliquando  
ex hac vita ſublatis, ad omnem omnino Rempl. redundant. Nam reliqua fere  
vitiae munerumque genera cum certo ordine ciuium et vno commercium ha-  
bent atque coniunctionem; res autem ſcholastica toti Reipl. communis est et  
ſalutaris, omniaque eius membra recreat et beneficiis afficit. Trotzendorffius,  
nobilitate generis clarus et apud Goldbergenses in Silesia olim ſcholae oppida-  
nae Rector fuit. Eum, ferunt, ſub initium lectionum non communi confute-  
tudine ſalutare ſolitum eſſe diſcipulos, ſed in hunc fere modum: Saluete Viri  
Perillustres, Magnifici, Venerabiles, Consultifimi, Excellentifimi, Ampliſi-  
mi, Consiliarii, Doctores, Superintendentes, Paſtores, Consules, Aduocati,  
Medici, Ciues, Milites et id genus alii: eundemque, quare tandem id faceret,  
interroganti respondiffe, ſe futuri temporis, non tantum praeſentis rationem  
habere. Recte quidem. Namque ut in ſectorum cera omnes omnium forma-

rum

rum personae, ita in iuuentute scholaistica ciues omnis generis latent. Et ego quidem, A. cum pueros hosce et adolescentes ingenio et litterarum studio et spe optimos adspicio, non solum eorum salutem, quantum ad me attinet, mente et cogitatione complector, sed illud etiam intelligo, curam meam et sollicitudinem cum ad ipsos pertinere, tum vero ad parentes, ad familiam, ad munera denique et vitae genera, quae aliquando suscepturi sint. Sic enim seres habet. Quales hominum animi praceptorum opera, industria et fide in scholis finguntur, tales olim in Republ. reperiuntur magistratus, tales doctores diuinarum humanarumque rerum, tales artifices, tales patres familias, verbo, tales sunt ciues. Latisime igitur patet, quam mihi cum hoc munere bene de patria merendi copiam datam esse et coniunctam videtis. Quare, cum multo plura habeam, quae de hoc genere dicam, tamen, ne singularem Vestram humanitatem amplius moremur, festinandum est ad ultimum eumque quartum, ut supra proposuimus, huius orationis locum, qui est de graecis et latinis litteris, deliciis nostris.

Atque breuissimo mihi etiam hic esse licebit, propterea, quod res apud Auditores intelligentissimos institutorum scholaesticorum et elegantissimos agitur. **Quis** enim est, quin videat, mihi in posterum in hac schola et ex hoc ipso loco **cum** disciplinarum optimarum initia esse industriae meorum discipulorum tradenda; tum vero libros interpretandos eiusmodi, qui ad usum praestantissimi sint; ad sensum autem suauissimi. Et de summa utilitate disciplinarum, vt Theologiae, Philosophiae, Geometriae, Historiae, Geographiae et Rheticorum dicere apud vos nihil opus est. Quod autem ad praestantiam graecorum et latinorum librorum attinet, ea quidem, vt iuuenium nostrorum cauſa haec addam, planissime et ex praestantia auctorum, et ex approbatione seculorum omnium, et denique ex ipso scribendi genere et argumento cognoscitur. Namque hi libri, quos ipso nomine, cum classicos appellamus, esse praestantissimos profitemur, auctores habuerunt eos, qui non essent otiosi, scholaſtici et umbratiles, sed qui in sole et puluere, in foro,

foro, in curia, in castris, in negotiis grauissimis, in totius Rpl. administratione  
 versarentur; qui cum diuinis ingenii disciplinam optimam praestantissimorum  
 magistrorum et longissimam, consuetudinem eruditissimorum hominum, per-  
 egrinationes litterarias, usum bibliothecarum et omnium rerum humanarum,  
 verbo, admirabilem scientiae copiam coniungerent. Nemo igitur facile vlo  
 vnquam seculo post hos libros scriptos extitit, nisi fortasse odio pulcherrima-  
 rum rerum duceretur, quin eos adamados, legendos diligentissime, et tan-  
 quam communes generis humani doctores conseruandos et omni posteritati  
 tradendos putaret. Nam propter hanc ipsam utilitatis opinionem factum est,  
 ut quam plurima eorum exempla describerentur; descripta conderentur in bi-  
 bliothecis, et condita ex tot temporum turbulentissimorum iniuriis, ex mani-  
 bus barbarorum, ex incendiis, ex inundationibus ad nostram vsque memoriam  
 seruarentur. Quod sane beneficium longe maximum est, et vnicce ad  
 prouidentiam Dei optimi et benignitatem referendum. Tantam  
 enim rerum optimarum copiam continent, tantam argumenti  
 varietatem habent et suauitatem, vt nullum genus hominum reperiatur,  
 nulla aetas, quae non his libris legendis adiuuari posse et delectari.  
 At vero hi ipsi libri ex hoc die, hoc loco, mihi quotidie manibus sunt  
 et animo tractandi; ad hos est disputandum; consuetudine quasi horum au-  
 torum et familiaritate vti, et in sermonibus summorum, qui post hominum  
 memoriam fuerunt, principum ciuitatis, ducum, philosophorum, poëtarum,  
 oratorum, historicorum, Liuii, Thucydidis, Herodoti, Horatii, Virgilii,  
 Homeri, Aristotelis, Platonis, Xenophontis, Caesaris, Ciceronis, in horum  
 igitur sermonibus et disputationibus conquiescere licebit et habitare. Quem-  
 admodum autem aliis alium locus maxime delectat et capit, et tenet et ad  
 habitandum inuitat: ita latinarum graecarumue litterarum et philosophiae  
 amore me potissimum teneri, ingenue fateor. Longum est, commemorare,  
 quot labores ab ineunte aetate harum caussa exantlauerim pro fortuna mea  
 et conditione; quantas molestias deuorarim. Omnia libenter sum perpeccus,  
 modo,

modo, ut has artes discere possem, ut docere alios, ut commendare, ut pro virili parte tueri. Et quamquam pluribus abhinc annis id ipsum mihi alio loco facere licuit; tamen ex hoc die et huius muneric beneficio tutior multo et facilior illius meae cupiditatis explendae copia mihi facta est.

Quamobrem, ut tandem hanc omnem orationem concludamus, cum tot tantasque laetitiae causas habeam, tam honestas, tam graues; cum Patroni mihi sint et sapientissimi et optimi; cum collegas nactus sim, qui officium faciant summa religione et concordiam colant; cum pluribus modis bene de Republica et praesenti et futura mereri liceat; cum denique apud eas litteras non diuersari possim, sed habitare, quae et praestantiam summam habent et meo certe animo plurimum iucunditatis afferunt; haec, inquam, omnia cum ita sint, quis, quæso, est Vestrum, A. qui non confiteatur, oportere me hoc munus, quamvis difficile sit et magna cum sollicitudine coniunctum, libentissime et summa cum laetitia adire et in me recipere. Sed illa ipsa laetitia, qua nunc quidem animus meus perfunditur et ad omnem alacritatem commouetur, Vos me rogare vehementer et orare cogit, ut singulari audiendi beneficio, quo me iam obstrictum tenetis, cumulum quasi adiicere haud dubitetis, et pauca me præterea dicere patiamini. Gestit enim animus hunc laetitiae suæ sensum expromere et sollempni quadam pietatis in Deum et in homines grati animi professione apud Vos testatum relinquere. Sic igitur habetote.

Ego Vobis, Patroni Excellentissime, Perillustres, et summe Venerabilis, gratias immortales ago habeoque, et, dum viuam, semper habebo, (referre enim non licet) gratias igitur Vobis ago libens meritoque pro incredibili huius dicti laetitia, quam Vobis acceptam refero, pro commendatione Vestrâ, auctoritate et benignitate, qua me dignum iudicastis, qui hanc Vestram scholam doctrina, disciplina et exemplo regeret, et hominum optime de re scholaistica meritorum Cellarii, Gleitsmanni, Bernhardi, Leisnéri locum obtineret. Idem autem ego

ego Vos oro obtestorque, vt pro admirabili Vestra benignitate hunc clientem Vobis obstrictissimum deuotissimumque in posterum etiam patrocinio Vistro, quo nihil mihi potius est, et praesidio complecti semper velitis atque tueri, et certissime Vobis persuadere, me operam omnem, diligentiam, industriam, cogitationem, mentem denique omnem et vitam in eo collocaturum esse et consumturum, vt ne villo vñquam tempore Vos vel huius rectoris vel omnino maximorum Vestrorum in me beneficiorum poeniteat. Sequitur, vt Vos appellem, Auditores Perillustres, Generosisimi, et Summe Reverendi, Consultissimi, Experiensissimi, Fautores sua quisque dignitate, doctrina et virtute Honoratissimi, qui, posthabitibus grauioribus Vestrīs negotiis, præsentia Vestra et audientia nostrum hunc diem condecoratis. Ego Vobis pro illo et honore et beneficio non solum maximas gratias ago habeoque, sed etiam plurimum me Vobis hoc nomine debere, semper praedicabo. Date hoc, quæsio, singulari meae de vestra virtute opinioni, vel date potius singulari illi Vestræ in me voluntati, vt idem mihi studium, eundem mihi animum amicissimum omni tempore præstetis, et plane Vobis persuadeatis, me omnibus officiis id operam sedulo esse datum, vt benevolentia vestra, amicitia et fauore nunquam indignus esse videar. Nunc vero ad Vos festinat oratio, Viri Doctissimi, Collegae Amicissimi. Ego item Vobis pro singulari amicitiae et humanitatis testificatione, qua aduentum meum ornatis et excepistis, maximas ago habeoque gratias, et sanctissime confirmo et in me recipio, me nunquam commissurum esse, vt vel hominis grati, vel viri boni vel collegae amicissimi officium in me quidem recte desideretur. Conseruate etiam Vos, quemadmodum non quidem spero, sed plene confido, hunc mihi semper animum, quem ostendistis, et onus, quod pro Collegii ratione communiter sustinemus, concordia et patientia leuate, vt omnes anni nostre coniunctionis, necessitudinisque, omnes menses, dies denique omnes et horae huic ipsi horæ et huic diei lactitia et molestiarum vacuitate simillimae reperiantur. Veniendum est ad Vos, Discipuli Carissimi, Cura nostra et Amor. Quod aduentu meo animum amoris in me et studii plenum pluribus


ribus modis significasti, id mihi est longe gratissimum. Jam vero Vos ethor-  
tor et rogo, vt illud studium obsequendi mihi et gratificandi semper retineatis,  
et omnino existimetis, nihil a Vobis, quod mihi quidem gratius sit et iucundius, fieri  
posse, quam si meam et omnium magistrorum vestrorum fidem, industriam, dili-  
gentiam diligentia Vestra, industria et obedientia adiuuetis ita, vt Vestrī in bo-  
nis moribus et litteris profectus voluntati horum Patronorum satisfaciant; paren-  
tum autem vestrorum fautorumque expectationem superent. Ego cauebo dili-  
genter, vt neque seueritate nimia et inepta quadam morositate Vos, cum iuve-  
nes iuuenilibus rebus delectemini, repente senes facere coner, neque indulgen-  
tia molli et negligentia imprudentiam vestrā aetatis et impetum ad nugas,  
ad errores, ad peccata, ad flagitia delabi, quantum quidem in me est, patiar.  
Quid multa? Ego, mihi credite, o Dilectissimi Juvenes, vti parens libero-  
rum, ita vestram omnium salutem dies noctesque omni et amore et diligentia et  
cura, et cogitatione et mente complectar.

Nihil restat, mea quidem sententia, nisi pietatis in Deum officium, quod  
cum grauissimum omnium et maxime necessarium sit, nos vltimo orationis loco  
reservandum putauimus ea de causa, vt ne memoria eius et cogitatio comme-  
moratione aliarum rerum imminueretur, sed integra quam diutissime in ani-  
mo vigeret. Hoc igitur agamus.

Ego Te inuoco, o Deus O. M. Tibique cum pro aliis innumerabilibus  
adiumentis vitae omnis meae ad bonas litteras discendas docendasue et benefi-  
ciis, tum vero pro singulari huius diei laetitia et pro hoc munere, quod con-  
ciliando hominum patrocinio mihi mandatum voluisti, tantas ago habeoque  
gratias, quantas studium pietatis summum Tibi per humanae naturae imbecil-  
litatem agere potest atque habere. Inchoatum autem beneficium Tuum ne re-  
linque, sed perfice. Moderare igitur administrationem muneris mei et adiuua  
consilio Spiritus Tui atque sapientia, vt omnia recte faciam, atque ad gloriam  
Tui

Tui nominis. Nam humana quidem prudentia sine Tuo numine potest nihil. Porro autem idem ego Te veneror supplex et precor, vt patriae vniuersae et Regi, vt Patronis huius scholae et fautoribus et praceptoribus, vt ipsi iuuentuti et scholae vniuersae et ciuitati bona omnia largiaris quam benignissime. Redde igitur perturbatis misere et afflictis Saxoniae incolis et omnibus orbis terrarum nationibus, si sapientiae Tuæ videtur, primo quoque tempore pacem, exoptatissimam pietatis in Te omnis et omnis virtutis et omnium bonarum litterarum et omnis felicitatis nutricem, redde vero etiam desiderio nostro cum pace Patrem patriae Optimum FRIDERICUM AUGUSTUM, eundemque cum regia familia tota florere omni felicitatis genere quam diutissime, iube. Sed iube quoque statores huius scholae et Patronos suo quemque genere, dignitate et meritis in patriam Illustrissimos, Excellentissimos, Perillustres et Venerabiles omnibus beatæ vitae, valetudinis et omnino fortunae secundae beneficiis et ornamenti omni tempore abundare, quo virtus ipsorum atque sapientia cum praemio aliquo fruatur, tum vero in posterum tanto facilius diutiusque saluti huius scholae et ciuium omnium praeesse poscit, atque consulere. Fac velis etiam, Deus, Auditores hos nostros eosdemque Fautores huius scholae optimos cursum non solum huius noui anni, sed complurium etiam aliorum ex animi sententia confidere, vt salute eorum et rerum incolumente lactari haec schola in dies magis magisque posit. Serua item, Deus, Collegas hos meos et me simul saluos semper et incolumes, vt pro sua quisque conditione rebus secundis fruatur; vt habeamus, quo ex puluere scholastico et labore animus reficiatur oblecteturque; vt vires nostræ isti oneri sustinendo pares sint; vt, quicquid a Te nobis datum est vitæ, placide inter nos et incunde transfigamus. Orna et instrue hanc scholasticam iuuentutem pietate in Te, quæ est omnis sapientiae origo, studio bonarum artium et honestatis acerrimo, vt salus ipsius stabiliatur, et nullum vitae genus in Republica sit, nullum munus, quod sibi non de iuuenium nostrorum dexteritate olim gratuletur. Iube, vt paucis omnia complectar, hanc scholam omnem esse officinam virtutis,

doctrinae, elegantiae et humanitatis, ab eaque excludi et arceri quam longissime tanquam pestes, rusticitatem morum, barbariem, inscitiam, ignauiam, libidinem, petulantiam et impietatem, ut quotannis, tanquam bonum aliuear, examina adolescentum ad omnes maiores disciplinas et ad omnes Reipublicae partes paratissimorum emittat, atque magistrorum bonitate et probitate discipulorum ad optimam disciplinac existimationem longe lateque commendetur. Iube denique hanc Cizensem ciuitatem, quae scholam nostram, tanquam bonarum artium domicilium, suis moenibus complectitur liberalissime, et pristina agrorum hortorumque fertilitate, et commercio operum merciumque fortunato florere quotidie melius, ut, deleta quam primum bellicae calamitatis memoria, optatisimis iucundissimisque pacis commodis fruatur feliciter. Atque has meas preces ratas habete et Tu, Deus pater, ita, vti pater nostri generis es et salutis humanae auctor; et Tu, Deus fili, ita, vti pretiosissimo sanguinis Tui beneficio gratos nos Tibi praestas et acceptos; et Tu denique, Spiritus sancte, ita, vti interpres linguarum es et artium optimarum inuentor, et scholarum conseruator et doctor omnis verae sapientiae. Dux.




## ORATIO

# ORATIO

## BURGESDORFI.





Q. F. F. Q. S.



Tsī vereor, ne arroganter plane facere et intempestive  
videar, quod solus surgam et vnuſ, et ad Te, HENT-  
SCHI Amicissime, Musarum deliciae, in tanta viro-  
rum grauisimorum celebritate consolu in maximorum  
et splendidissimorum hominum verba faciam, orator,  
vnuſ e multis, ab hac societate alienissimus, et, quod coniectura quisque facile ad-  
sequi poscit, ad dicendum inuitatus a nemine; et si quoque maxime vellem, vt, si  
qui digniores in hoc frequentissimo fuerint templo, qui multi sunt, ad quos  
suavis et amicus ille Tui compellandi honor maiori quodam iure pertineat,  
vt hi, inquam, ex suo numero prodire aliquem iuberent, qui Tibi munus, ciui-  
tati,

D

tati TE civem, scholae TE Rectorem, nobis TE amicum, gratularetur 'pie:  
fateor tamen, esse aliquid, quod leniter animum meum moveat, et in quo ego  
mihi quidem ipse valde placeam. vbi hic me collocatum uideo, et ad TE di-  
cere de TE audeo. Siue enim hoc spectem, TE alloqui, illud idem fere esse,  
atque publico quodam testimonio et luculento omnibus bonis meam probare  
de doctis viris iudicandi rationem, et iustis examinare ponderibus, quae po-  
tissimum amicum constituant ex eo genere, quo Socrates paruas suas aedes  
optabat impleri; siue hoc cogitem, non humilem me aut vilem sustinere per-  
sonam, sed potius quemadmodum Platonis in Timaeo Deus tarditate et ce-  
leritate dissimillimos motus vna regebat conuersione, ita plane hoc  
vno momento dissimillimo quodam dubitationis, indignationis, et approba-  
tionis sensu omnium, qui circa sunt, animos me solum tenere: in utroque  
inuenio aliquid, quod quomodo verbis exprimam, vix habeo; quod tamen ad me  
mouendum tot tantaque habet inuitamenta, quot quantisque ne tardissimum  
quidem et maxime plumbei hominis ingenium resistat facile. Quamobrem,  
fac, hos eosdem, qui felicissimis aclamacionibus, qui votis et gaudiis HENT-  
SCIUM exceperunt de cathedra dicentem, in suique admirationem suauiter  
omnes rapientem, et quorum omnem coronam iocosa plausus imago perambu-  
lat, fac, temeritatis inopportunae suspicionem in aures inuicem insuurrare sibi.  
Non haec sunt, quae me moueant, aut mouere sine religione possint. Reuici-  
ant sententiam hi viri, qui iuri dicundo praesunt; reuiciant eandem, qui in his  
scholae porticibus abunde litteris et condonare aliquid solent studiorum so-  
ciis; reuiciant denique et reliqui orchestrae et quatuordecim graduum viri,  
donec ad finem sermo meus erit perductus. Audiant, quid dicam? cognoscant  
causas, cur dicam? et animaduertant deinde, si Dis ita placet, in me-  
um litterarum amorem, in sacrum illud et arctissimum vinculum, 'quod  
inter me, et has Cizensium Musas intercedere gaudeo et mihi gratulor, et in  
eas in primis causas, quae, vt ego hodie maxime orarem, suo quodam iure po-  
poscerunt magis, quam suaserunt,

Sci-

Scilicet, nolo diutius TE haerere, et dubitatione, *Amicissime HENTSCHE*  
 fluctuari, quid potissimum sit, cur eadem amicitiae, laetitiae, gratulationis  
 declarationem, qua TE nuper excepeream, cum primum me Rector viseres, pa-  
 lam iterare, eiusque animi tot tam splendidosque testes habere velim. Nam,  
 cum a *Rege nostro Sanctissimo, FRIDERICO AUGUSTO, Patre,*  
 pro *Cuius* reditu susceptas deuotiones conuictas, quam proxime fieri posse, et  
 commissas volunt tot ciues, quot Saxonia pios alit incolas; et *Cui, Cuiusque*  
*Domini Augustissimae*, si quid vñquam in me fuerit prebitatis, ingenii, erudi-  
 tionis, earum rerum omnium fructum in primis sacrum esse volo; cum igitur a  
*Rege nostro, Summo Principe eiusque Amicis*, et multa nouiter sapienterque  
 instituta, et alia aequa multa praeclare a maioribus nostris inuenta, gaudemus  
 conseruata esse et continuata; tum nihil praestantius putamus, quam, quod om-  
 nibus, quaque patet *Saxonia*, Scholis Academiisque viros bonos et probos iuxta atque  
 eruditos praeesse, et maxime etiam huius scholae in tot turbis, tantisque an-  
 gulissimorum temporum periculis, curam habere regiam, et TE potissimum  
 praefiscere eidem voluit, vt nempe ex Tua *tanti viri* manu pro immanibus sae-  
 pe ingenii et rudibus, quae *TIBI* traduntur, patriae ciues cicures redderentur,  
 et frugi, qui eam concuslam olim sustinherent, sanarent vulneratam, et turbatam  
 componerent. *Cuius* quidem rei, bene plane et rite factum esse, vt hodie Ro-  
 mano quodam more Sollemnia celebrarentur, quibus per hos viginti fere annos,  
 his parietibus, huic cathedrae, his denique sedibus maius quidquam videre  
 vix contigit; illud est mihi ita nunciatum et expositum, vt clarius et certius  
 non posse.

Hac ipsa enim nocte, et illis horis, quibus olim cupidinem suum salu-  
 tauerat Teius Poeta, adparuit mihi magna quaedam et splendida species, Fe-  
 mina diuinæ magnitudinis, candida stola, Iunonis oculis, flava coma, cul-  
 tu modesto; quid multa? Femina, quam reduxisse ab inferis dixisset, quid-  
 quid de Gratiis, de Horis, de Lalagis, de reliquis eius generis, olim in scenam

elegantissima produxit aetas vetusta; ea regina incedit, suis radiis meum col-  
 „, Iusfrat lectum, manu me leniter mulcet, et, heustu! inquit, vide Humanii-  
 „, tatem, HENTSCII amicam. Cras mea agentur sollempnia. Consecra tu  
 „, illa, fac vota HENTSCHO *meo*, et dic, me iubente, id factum esse. Sic lo-  
 cuta disparuit. Quid facerem? Venit, ut fas erat, venit in religionem, con-  
 temnere Humanitatem, Accipe itaque, *Amice humanissime ex meo ore, sed*  
*Humanitatis nomine, vota, plausus, preces.*

Quo quisque magis nouerat *Leisnerum*, illum insigniter meum, et eius  
 admiratus erat eruditionem, facilitatem, probitatem, eo grauius dolebat et su-  
 is elegis tanti viri abitum lugebat. Has porticus orbatas, haec subsellia scho-  
 lastica in maxima viduitate posita, hanc cathedram vacuam, hos iuuenes, dis-  
 cipulos, patre et moderatore destitutos, haec omnia flebamus et lamentabamur.  
 Reddis spem, gaudia, litteras, patrem, reddis omnia, *Carissime HENTSCI*; et,  
 quod olim de Archia suo Tullius, praedicauit famam ingenii expectatione, expe-  
 ctationem aduentu ipso superatam esse, hoc in Te plane ita factum esse gaudeo  
 impense. Age igitur! Restitue Lipsiam Cizae; Fac, redeant Musae, quae quasi  
 abiisse plane videbantur; et si quae sunt, quae Te ad puluerem scholasticum et ani-  
 morum iuuenilium conformatio[n]em ad difficilia omnino negotia, immo vero  
 saepe ad fastidia descendere iubeant; ea abeant procul! et quae sunt diuina illa  
 eorum, qui de iuuentute bene merentur, commoda, ut patria illis innumerabilia  
 nomina debeat, haec ad Te quam largissime perueniant!

Neque enim nos auita nobilitate quadam conspicui, quorum sunt multi,  
 qui ambitione stupidi, quidquid ad litteras humanamque pertinet disciplinam,  
 illud omne alto solent superciliosi ridere; non igitur nos, ita me Deus amer,  
 imaginibus nostris patriam illustramus; neque pueriliter urbani isti Graeculi,  
 qui Atticorum nostrorum, hoc est, Gallorum lecythos se exsorbuuisse cunctos  
 vana ostentatione iactant, gyris suis et saltationibus ad rectos mores a rudibus  
 et


et incultis ciues traducant; neque porro ii de iure respondere legitime sciant, qui, ut canes Nilum lambentes, non nisi in itinere leges veteres et instituta degustarunt, et ultra anxia illa et horrida compendia vix sapient; neque etiam hi veri sint sacerdotes, qui ex decem duodecimue postillis, (quam terribilis vox) monogrammum aliquem Epicuri Deum effingere et ieenum fameque macilentum centonem contexere, et magnis lateribus declamare didicerunt; nec denique exercitus sacerorum tueatur rempublicam: nisi videlicet Tu, *Vir prae-flamnisime*, Tuique similes, quibus futura patriae fata quasi in manus tradita et plane commissa sunt, nisi vos ingenuos nostros, omnesque iuuenes virtute, elegantia quadam Attica et Romana, legum intelligentia, Dei vera cognitione et fortitudinis iusta notione imbueritis, uno verbo, nisi vos haec omnia et soli, Deo praesente, feceritis, discinctissimorum nepotum, et otiosorum colluvies, et reipublicae sentina ordinem constituet equestrem, securas pro viris elegantibus, Rabulas pro ICtis, histriones pro oratoribus sacris et pestes furiasque pro viris fortibus patria habebit, in sua viscera omnes saeuentes. Quae cum ita sint, quanta sunt, quae vobis praemia debentur.

Atque haec quidem praemia TUA sunt! huius aei annos fluere TIBI felicissimos, fructuosos, et futuri aei laetissimos beatissimosque Deus iubeat. In eaque re, in his votis collige ex tanta maximorum virorum frequentia, ex hac omnium insigni erga Te voluntate, collige laetus, quam vnanimi consensu eorumdem vota cum votis meis collineent. Si quis enim forte nunc adsit, ignarus institutorum nostrorum, morum et consuetudinis, miretur profecto, quae sit tanta sollemnitas huius diei, vt, iustitio ubique indicta, a negotiis et reipublicae cura, huc potissimum seuocentur homines, et haec sancta peragatur celebratio; nec dubitet, quin rei alicuius habeantur sollemnia, qua neglecta magnae religionis facinus concipiatur. Quamobrem, quoniam ex hominum multitudine, cum olim fieret Diis, vel in ipsis gentilium mentibus faustissimi euentus quasi quoddam inhaereret augurium, maiori Tu iure ex hac praeclara

QR Ye 4339


sane praerogativa augurare, quam paratum TIBI ad futurum sit summum Numen, tot pro TE deprecantibus amicis. In quorum numero facile intelligas iniuriam fore, nisi prius locus concedatur iis, ad quos deducendi sunt primum, qui TE studiorum suorum auctore rite vti volunt, TUORUM nempe laborum sociis, qui pietate, litteris et moribus iuuenes imbuere debent et gaudent. Hos igitur omnes, vide, TIBI aude expectato suum offerre animum, amicitiam, sua vota et officia. Quamquam, quod Tu maxime vis, et in quo primum spartae Tuae momentum versatur, discipuli Tui, bona spei iuuenes, cura Tua et amor, vt mox ipse aiebas, hos, vide, promittere vultu composito amore et obedientiam TIBI, olim gaudia et patriae fructus. Ex iisque fructibus hos patere in me redundare, vt; quem quasi ad Eurotam, vestrorum laborum spectatorem otiosum, sedere oportet, ad eum de Tuis meritis laetitia et Tuae amicitiae et voluntatis non minima pars pertinet.

neat. Dixi.



X2379932

M



AK.289 v. Burgsdorff.

Ye  
4559

ORATIONES Duae  
QUAE  
IN SCHOLA CIZENSI  
RECTORATUS  
ADEUNDI CAUSSA  
HABITAE SUNT

PRIMA  
A  
M. HENRICO GOTTLLOB  
HENTSCHEIO

SECUNDA  
A  
CHRISTOPHORO GOTTLLOB  
A BURGSDORF  
EQUITE MISN.

A. D. XVII. KAL. FEBR. CIC 19CC. LX.

CIZAE  
TYPIS HVCHONIANIS.

BIBLIOTHECA  
PONICKAVIANA

UNIVERSITÄTS-BIBLIOTHEK  
HALLE (SAALE)

